



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,  
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem  
præceptorum secundæ tabulæ

**Tamburini, Tommaso**

**Monachii, Anno M.DC.LIX.**

Principem remissivè.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39995**

aliquo loco, siue per iniustitiam iudicis, siue per ignorantiam, siue propter aliud caput, mutuatarius usuras soluat? Respondeo, tunc obligabitur notarius ad restitutionem, saltem tertio loco, in defectum scilicet usurarij primo obligati, & iudicis iniusti, qui obligatur secundo loco. Ratio est, quia, quod usura solvatur immediate ex iniustitia iudicis, vel ex ignorantia, non tollit, quin notarius antecedenter iniustam causam huic coactioni dederit.

§. *Silv. v. i. usur. 7. Less. d. 20. d. 27. num. 180. Mal. tr. 5. c. 3. dub. 24. contra lo. med. c. de usuris. q. 4. §. de cooperationibus.*

58. Certum est secundo, si notarius celebret contractum usurarium, sed palliate, fingendo alium titulum, peccare, & obligari ad restitutionem, quia & operatur contra iuramentum, & concurrat ad iniustitiam.

59. Controversum ergo remanet, an si vel palliatum hunc, vel clare usurarium illum contractum notarius sic celebret, petente & volente mutuatario, peccet, & ad restitutionem solutum usurarum teneatur? Respondeo ex dictis, cum peccare quidem, quia facit contra iuramentum, sed non obligari ad restitutionem. Ratio est, quia, ut modo prosecuti sumus, volenti & scienti non fit iniuria. Quod si in hoc casu aliqua fiat, facile remittitur à mutuatario, cui res grata facta est.

60. Sed cur usurarius obligatur ad restitutionem, quamvis volenti, & scienti mutuatario rem gratam fecerit, mutuatario summa usuris, non autem hic

notarius? Respondeo, quia notarius hic, & illi omnes, quos supra excusavi, nihil recipiunt ex usura; totum enim hoc lucrum usurae accipit usurarius. Hinc fit, ut mutuatarius respectu usurarij non sit volens, atque adeo sit invitus simpliciter & absolute, sed sit solum volens, ex suppositione voluntatis usurarij, aliter mutuae nolentis, at respectu cooperatorum praedictorum, est simpliciter & absolute volens, cum ab ipsis recipiat beneficium, nec in ipsis adsit iniquitas actionis recipiendi injustas usuras.

#### Testes.

61. Quoad testes, ajo, ea, quae hactenus dicta sunt de Notario, dicenda esse de testibus. hi enim unum faciunt cum notario, tum ad communicandam vim scripturae publicae, tum ad alia praedicta.

#### Princeps.

Quoad Principem permittentem usuras, ajo, posse id fuisse videri apud Dianam: par. 9. tract. 8. resp. 14.

#### Cooperatio cum transgressivo praecipuum.

62. Cajus decrevit jejunium violare, inimicum occidere, rem alienam furripere, etiam si ego illi cibos, gladium, scalas non subministrem. sibi enim certo providebit ab alijs; quare merito hic dicitur praecipua transgressurus: Titius vero ita est dispositus, ut ubicumque inveniatur cibos, eos